

nullo miraculo indiget, nec fit ei ulla vis, si consensus non sequatur: ergo nec fiet vis, si concursus ad consensum denegetur, quia non erit hoc contra ejus naturam aut renitentiam, de se enim est indifferens et expectat determinationem voluntatis; nec eam natura sua efficaciter infert, cum stet natura sua sine hoc quod sequatur consensus: ergo male dicit inferri illi violentiam, et solum per miraculum denegari concursum ad consensum. Et denique, semper ille nodus, et difficultas non solvitur, nec explicatur: Quid est illud, si se determinaverit voluntas dabo concursum ad consensum, vel quid est expectare illam conditionem, si se determinaverit voluntas? Vel enim sensus est: si se determinaverit in actu primo, vel si se determinaverit in actu secundo. Si in actu secundo, est jam ipse consensus, et ipse influxus voluntatis, qui utique identificatur cum concursu simultaneo, et sic idem erit expectare Deum, si se determinaverit voluntas in actu secundo, atque expectare, si ipsemet concurrat, et dicere: si ego concurram determinate ad consensum, concurram. Quid ineptius? Aut etiam, si videro actum jam factum, influam, seu faciam illum. Quid implicatius? Certe ipse Vasquez pro inconvenienti reputat, quod sequatur decretum absolutum Dei ad operationem voluntatis, quia sic concurreret ad id quod jam supponitur, et est: ergo non potest illa conditionalis sic intelligi, quod si voluntas se determinaverit in actu secundo, Deus absolute decernat concurrere, quia sic concurreret Deus ad id quod jam est, et supponitur, scilicet ad operationem et actum nostrum, quia non concurreret Deus, nisi purificata conditione, conditio autem est, si se determinaverit in actu secundo: ergo supponi debet ipse actus

secundus, si purificatur conditio. Si vero sensus est: si se determinaverit in actu primo, concurrat: ergo posito illo actu primo ex parte voluntatis, statim concurreret per decretum absolutum, et tamen non statim concurreret voluntas, et cooperabatur in actu secundo, quia ex eo quod in actu primo sit determinata, non sequitur quod in actu secundo infallibiliter se determinabit, quia potest adhuc post. illum actum primum non operari: ergo si Deus concurrat posito illo actu primo, vel debet illo concursu ad ipsam cooperationem voluntatem trahere infallibiliter, et sic currunt ea quæ contra antecedentiam efficacem auctores oppositi objiciunt, et admittunt, vel si voluntatem permittit resilire, et non operari, frustrabitur decretum illud absolutum et efficax Dei, quod repugnat. Præterquam quod est inexplicabile quis sit ille actus primus, et quid addat super voluntatem, ut eo posito, Deus absolute decernat concurrere, quia non est sola potentia secundum se, aut habitus aliquis, quia cum utroque stat operari et determinari voluntatem ad oppositum. Quid ergo est ille actus primus? Et quid dicatur an sit vocatio congrua, et attemperata, vel aliquid aliud, redeunt difficultates positæ, non solvuntur.

XIX. Propter hæc est quarta sententia Cardinalis Bellarmini libro IV de gratia, capit. XVI, cum enim duplicem modum concordandi libertatem cum divino decreto ponat alterum capite XV ex Gregorio, Gabriele, et aliis, qui, ut inquit, non agnoscunt influxum Dei prævium in causas inferiores, sed simultaneum in effectum, et ita in hac sententia Deus concurrat indifferenti concursu ex se qui particularizatur, et determinatur a causa creata, ita ut cum ipsa voluerit, et determinave-

rit Deus concurrat; contra quam currunt instantiæ huc usque a nobis adductæ, ut explicetur quid sit illud determinare se causam creatam. Alterum modum concordandi ponit capite XVI ex sententia S. Thomæ, quod Deus influat non solum in effectum, sed etiam in ipsam causam sibi subordinatam, ad explicandum quomodo Deus istum influxum imprimat voluntati ante omnem ejus operationem, et positivam applicationem, dicit ex parte voluntatis præcedere quamdam negativam determinationem, scilicet quod sinat se moveri ab objecto, et non induretur, aut resistat, quod etiam liberum est voluntari, quia non minus libera est ut agat, quam ut non agat. Et posita hac negativa determinatione, Deus applicat, et movet causam ipsam, et cum ea concurrat ad opus, unde posita motione Dei nulla voluntas potest illi resistere potestate antecedenti, quia potest non habere illam negativam determinationem, qua prævisa, aut posita Deus applicat voluntatem determinato concursu ad consensum boni. Et hanc negativam determinationem, qua voluntas sinat se moveri ab objecto, et a ratione, ponit S. Thomas quæstione prima de malo, art. III, ubi inquit: « Non uti regula rationis præintelligitur in voluntate ante inordinatam electionem: hujus autem, quod est non uti regula rationis, non oportet quærere aliam causam, nisi voluntatis libertatem, quia videlicet in ejus potestate est ut sinat se moveri a ratione, vel non sinat. » Et quæst. III de malo, art. II, inquit: « Requiritur in homine dispositionem quamdam ad recipiendum influxum Dei, et juxta eam dispositionem produci bonum, vel malum actum. »

XX. Cæterum hæc negativa determinatio juxta quam Deus determinet concursum suum, majoribus

opponitur difficultatibus. Imprimis voluntas negative determinata est voluntas sinens se moveri ab objecto: ergo est non resistens et non reluctans ipsi objecto: si enim resisteret, hoc ipso non sineret se moveri. At voluntatem esse non reluctantem, et non resistantem est effectus gratiæ efficacis, ut sæpissime docet Augustinus; in hoc enim discipuli Pelagii ei maxime repugnabant, quod volebant concedere Deum reluctanti voluntati studium virtutis immittere, Augustinus autem dicit quod Deus reluctanti, et resistenti cordi studium virtutis immittit, et ex nolentibus facit volentes, ut patet libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, capit. XIX et XX et lib. II, et cap. V et lib. de prædestinatione sanctorum, capit. VIII dicit quod: « Hæc gratia a nullo duro corde respuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. » Et ipsa Ecclesia Deum orat, ut nostras ad se rebelles compellat propitius voluntates. Itaque non sufficit objectum proponere; sæpius enim proponitur, et non movet, sed requiritur gratia Dei tollens duritiam cordis, et auferens cor lapideum, et dans cor carneum. Ergo non expectat Deus negativam illam voluntatis determinationem, et non resistantiam, sed facit illam, quia etiam duro et resistenti cordi gratia immittit, ut ex nolente faciat volentem. Et in specie S. Thomas super epistolam ad Hebr. c. XII, lect. III ad illa verba: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, sic objicit, et respondet: « Contra, inquit, quia si gratia non datur ex operibus, sed tamen ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum: ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, et non ex electione Dei, quod est error Pelagianus. Respondeo, dicendum quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum

ex gratia procedit. Unde si aliquis ponat, et tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam. » Et infra : « Quod ergo a quibusdam removeatur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei. » Per quem locum veniunt explicandi alii, qui allati sunt ex quæstionibus de malo quod ibi loquitur de dispositione positiva vel negativa ex parte voluntatis, quæ quidem est a voluntate, sed si est dispositio ad bonum, ex voluntate ordinata et disposita per voluntatem Dei, et non ante ejus influxum, ut ex loco a nobis allato constat.

Denique, ponamus hominem audita fide resistere corde indurato his quæ sibi proponuntur, deinde converti a Deo, inquiri quando datur illi concursus ut obediat fidei, præsupponitur illa negativa determinatio, et non resistentia, an non? Si non præsupponitur : ergo ruit sententia Bellarmini, quia sine tali negativa determinatione Deus dat determinatum concursum. Si præsupponitur : ergo quando incipit habere illam determinationem negativam, et incipit esse non resistens, aliter se habet quam ante, quando resistebat. Hanc ergo mutationem vel facit gratia Dei, et dextera Excelsi, vel supponit factam ab homine. Si facit gratia : non ergo ratione ejus datur gratia et influxus Dei, sed ante ipsam datur ut determinetur voluntas. Si præsupponit : ergo ante gratiam incipit tolli obstaculum ad fidem ex ipsamet voluntate, et habet initium conversionis a se, quia non modicum initium est reddi non resistentem, qui erat resistens, et tali determinatione, cui annexa est determinatio influxus divini ut consentiat.

XXI. Accumulari etiam possunt huic sententiæ inconvenientia pro aliis sententiis allata. Nam illa de-

terminatio negativa quæ antecedit influxum et cooperationem voluntatis, vel relinquit illam indifferentem ad influendum, et cooperandum, ita quod adhuc potest resilire, et non cooperari vel non, sed ea supposita non potest non influere, et cooperari voluntas. Si primum : ergo posita illa non potest Deus absoluto et efficaci decreto decernere concursum suum determinatum, nisi etiam rapiat voluntatem creatam ut concurrat, alias frustrari posset voluntas Dei absoluta si resiliret humana voluntas. Et currunt hic argumenta facta contra determinationem voluntatis in actu primo : eadem enim currunt contra negativam. Si secundum : ergo negativa illa determinatio obligat voluntatem ad positive influendum in actum, et ita influit necessario et non libere. Dices : Non influit necessario simpliciter, et necessitate antecedenti, sed consequenti, et ex suppositione, quia potest tollere illam negativam determinationem, et sic desinet influere. Contra : potest tollere illam negativam determinationem, et non influere : ergo poterit etiam tollere ne influat Deus concursu simultaneo, quia ejusdem rationis est tollere influxum suum, et Dei : ergo non potest Deus absoluto et efficaci decreto decernere, quod influet simul cum voluntate, nisi etiam faciat quod ipsa non resiliat a determinatione negativa, quod est perinde ac determinare illam antecedenti et efficaci decreto, quia ex una parte influit in actum, ex alia tenet illam ne resiliat a sua determinatione negativa, et hoc non est in manu voluntatis, nec potest manum illam a se excutere, quia infallibiliter operatur : ergo juxta principia horum auctorum tenetur voluntas necessitate quadam ne possit resilire.

Ex quibus etiam manet impugnata

sententia Herice, quæ ex parte affinis est huic sententiæ Bellarmini, dum inquit prima parte, disp. XIX, cap. IV, numer. III, quod decretum illud indifferens quo prima causa assistit potentiæ creatæ ut compleat perfecte ejus virtutem ad agendum connotat in ipsa potentiæ negationem impediendi ad agendum : potest enim Deus impedire omnia agentia creata ne agant, et eo ipso quod non vult impedire potentiæ creatam, intelligitur sufficienter velle illi applicare suam omnipotentiam. Additque Herice hoc impedimentum in potentiæ libera esse prædeterminationem physicam in unam vel alteram partem, et sic decretum non prædeterminandi physice voluntatem liberam, erit decretum assistentiæ omnipotentis divinæ, et concurrendi ad suum effectum.

XXII. Sed hæc sententia omnino insufficientis est. Et ex parte coincidit cum sententiâ Bellarmini impugnata, quia illa negativa determinatio apud Bellarminum qua voluntas sinit se moveri, quædam ablatio impediendi est, scilicet resistentiæ voluntatis, imo totum impedimentum voluntatis per hoc auferitur, quod reddatur non resistens. Deinde, ablato omni impedimento, et posita potentiæ vel quacumque causa expedita ad agendum, potest Deus denegare concursum suum simultaneum : nec enim indiget Deus appositione impediendi, ut faciat quod causa non operetur, nec effectus egrediatur ab illa, sed sufficit pura suspensio, et denegatio sui concursus, sicut sola suspensione concursus potest rem annihilare, sine appositione contrarii, sic potest effectum detinere ne egrediatur sola suspensione concursus, nullo alio impedimento apposito. Unde ignis in Babylone nullum impedimentum habebat ad comburendum : de facto enim comburebat ligna, et

materiam, quæ sibi ministrabatur, et viros quos reperit de Chaldæis prope fornacem; et tamen tres pueros non combussit propter solam suspensionem concursus : ergo sola ablatio impediendorum ad hoc non applicat nec determinat decretum divinum ut de facto concurrat. Et redeunt argumenta facta, an ablatio impediendorum relinquat adhuc liberam voluntatem ad cooperandum, et influendum in actum, an non. Si non, manet voluntas necessitata, si relinquit liberam : ergo adhuc posita negatione, seu ablatione omnis impediendi Deus debet dare concursum non determinatum, sed sub conditione si voluntas se determinaverit, quod est semper concursum dare indifferentem, et semper inexplicatum relinquere quid est illud, si voluntas se determinaverit. Si vero dat concursum determinatum per decretum absolutum, aut debet trahere voluntatem infallibiliter ut cooperetur secum, ne frustretur voluntas Dei absoluta, aut exponet se periculo frustrationis si voluntas creata resiliat. Quod si dicat Herice, quod non intelligitur Deus tollere omnia impedimenta, si suspendat suum concursum, quia hoc maximum impedimentum est poni causam in statu suspensionis concursus, contra est, quia secundum hoc non dicitur Deus tollere omnia impedimenta, nisi concurrat de facto, et positive : nam si impedimentum est suspendere influxum, ablatio impediendi erit non suspendere, sed concurrere : hoc enim est non suspendere, scilicet concurrere. Et sic decretum Dei de duplici concursu indifferenti ad amorem, vel odium determinabitur ad concurrendum ad amorem, et connotabit pro effectu ad extra concurrere ad amorem, id est, determinatur ad sic concurrere quia sic concurrat. Hoc est petere principium : inquiri-